



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

Capvt Sextvm. De Dominici dici, & festorum Exercitationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

CAPVT VI.

EXERCITIUM
REGVLAE V.

De dominici, festorumq; dierum
exercitationibus, ac de cultu San-
ctorum.

PARS PRIMA.

*Peculiare exercitium diebus Dominicis
adhibendum circa Sãctissimam Tri-
nitatem.*

Sic v r Christianis omnibus, sic Soda-
libus potissimùm incumbit, vt inti-
mum quendam amorem, & obser-
uantiam sibi excitent erga Sanctissimam
Trinitatem, quã nihil coli debet religio-
sius, nihil amari ardentius, nihil in memo-
ria versari frequentius. Ad quam singulari
studio colendam, & honorandam, dies
Dominicus à S. matre Ecclesia institutus
est; vt propterea dies iste salutaris, & vti-
lius obseruari non possit, quàm si eo my-
sterium recolas Sanctissimæ Trinitatis.

Hymnus

*M. Antonij
Mureii.*

Hymnus ad SS. Trinitatem.

O nullis hominum peruia sensibus,
 Naturæ penitus sola capax tuæ,
 Cuius condita sunt omnia numine,
 Aeterna & monas, & trias.
 Nato æque ve pater, Nateque par Patri,
 Et manans ab utroque inclite spiritus,
 Circunfusa tuo nubila lumine,
 Nostro discute pectore.
 Da mens per speculum cernere te queat
 Nostra, & posthabit te petat omnibus,
 E iussisque tuis pendeat, & tibi
 Soli dedita seruiat.
 Tu clemens miseris da veniam Pater,
 Tu Fili miseris sterne viam ad Patrem.
 Tu sanctum miseris Pneuma vaganti-
 bus
 Præfer conspicuam facem.
 Simplex ætherei numinis vnitas,
 Quæ distincta eadem est, veraque Tri-
 nitas,
 Aeternis vigeat semper honoribus,
 Et terra simul, & polo. Amen.

LIT A.

LITANIAE AD SANCTISSIMAM TRINITATEM
tem ex Scripturis sacris.

Antiph. Gratias tibi Deus, gratias tibi vera
 & vna Trinitas, vna & summa Deitas,
 sancta & vna vnitas: benedicta sit sancta
 creatrix, & gubernatrix omnium,
 sancta & indiuidua Trinitas, nūc & semper,
 & per infinita secula, Amen.

K yrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater de cœlis Deus.

Fili redemptor mundi Deus.

Spiritus sancte Deus.

Sancta Trinitas vnus Deus.

Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi.

Pater misericordiarum.

Pater increate, immense, & æterne.

Pater, qui à nullo es factus, nec creatus, nec genitus.

Pater, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur.

Pater, qui quæris in spiritu te adorantes.

Pater, cui omnia sunt possibilis.

Pater qui es, & manes in filio.

Pater iuste & sancte.

I

Pater

Miserere nobis.

Pater gloriæ.
 Pater spirituum.
 Pater totius consolationis.
 Fili ante Luciferum genui te.
 Fili amator humanæ salutis.
 Fili, cui data est omnis potestas in
 coelo, & in terra.
 Fili candor lucis æternæ.
 Fili figura substantiæ Patris.
 Fili rex regum, & Domine Domi-
 nantium.
 Fili expectatio Israel, & gentium.
 Fili princeps pacis.
 Fili sapientia Patris.
 Fili speciose forma præ filiis ho-
 minum.
 Fili sol oriens ex alto.
 Fili via, veritas, & vita.
 Fili Altissimi, & Mariæ virginis.
 Fili delectatio mentium.
 Fili doctor iustitiæ.
 Fili lympiditas omniū Angelorū.
 Fili contemplatio Patriarcharum.
 Fili illuminatio Prophetarum.
 Fili norma Apostolorum.
 Fili victoria martyrum.
 Fili confortatio Confessorum.
 Fili pastor bone omniū Pastorū.
 Fili Domine & Magister Docto-
 rum.

Miserere nobis.

Fili

Fili corona virginum.
 Fili caput Iustorum.
 Fili mediator Dei, & hominum.
 Fili merces Sanctorum omnium.
 Spiritus sancte, à Patre Filioque
 procedens.
 Spiritus Domini, qui ferebaris su-
 per aquas.
 Spiritus replens orbem terrarum.
 Spiritus habēs omnem virtutem.
 Spiritus veritatis, omnia suggerēs.
 Spiritus sapientiæ, & intellectus.
 Spiritus cōsiliij, fortitudinis, scien-
 tiæ, & pietatis.
 Spiritus timoris Domini.
 Spiritus, quo inspirante loquuti
 sunt sancti Dei homines.
 Spiritus Domini, & promissio Pa-
 tris.
 Spiritus ex quo renascimur.
 Spiritus, in quo dæmonia eiiciun-
 tur.
 Spiritus adoptionis filiorum Dei.
 Spiritus adiuuans infirmitatē no-
 stram.
 Spiritus pignus hereditatis nostrę.
 Spiritus reddens testimoniū spiri-
 tui nostro, quòd simus filij Dei.
 Spiritus principalis, viuificans, &
 confortans.

Miserere nobis.

I 2

Spi-

Spiritus fidei, pacis, & ardoris.
 Spiritus gratiæ, & misericordiæ.
 Spiritus lenitatis, & veritatis.
 Spiritus renouationis, ac sanctifi-
 cationis.

Spiritus vitæ, & patientiæ.
 Spiritus continentia ac modestiæ.
 Spiritus suavis & super mel dulcis.
 Spiritus omnium gratiarum.

Deus, qui vnus es in substantia,
 trinus in personis.

Sancte Deus, sancte fortis, sancte,
 & immortalis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie elei-
 son. Pater noster.

Et ne nos inducas, &c. Sed libera.

Vers. Benedicamus Patrem, & Filium, cum
 sancto Spiritu.

Resp. Laudemus, & superexaltemus eum in
 secula.

Vers. Benedicat nos Deus, Deus noster, be-
 nedicat nos Deus.

Resp. Et metuant eum omnes fines terræ.

Vers. Domine exaudi, &c.

Resp. Et clamor &c.

ORATIO. Omnipotens sempiternus
 Deus, qui dedisti famulis tuis in confessio-
 ne veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam
 agnoscere, & in potentia maiestatis ado-
 rare vnitatem: qua sumus vt eiusdem fidei

fi. mi-

Miserere nobis.

firmitate, ab omnibus semper muniamur
aduersis Per Dominum, &c.

Custodiat me sempiterna Deitas,

Defendat me immensa Trinitas,

Dirigat me inæstimabilis bonitas,

Regat me potentia Patris:

Viuificet me sapientia Filij.

Illuminet me virtus Spiritus sancti:

Sit mihi ista inuocatio s. lus & protectio:

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus san-
cti. Amen.

PARS SECVNDA.

*Peculiare Exercitium, iisdem diebus do-
minicis subiinde adhibendū circa tres
personas SS Trinitatis.*

Quamuis Sanctiss. ac indiuiduæ Tri-
nitatis opera ad extra sunt indiuisa, &
communia tribus diuinis personis; ad ani-
mi tamen affectus sigillatim erga illas ex-
citandos, iuxta tres animæ potētias, ac tria
nostrarum actionum genera, ea spectando
potissimum, quæ à SS. Patribus vnicuique
personæ attribuuntur; hoc est, Patri pote-
stas; Filio Sapientia; sancto Spiritui boni-
tas; sequens exercitium subiiciendum du-
ximus.

*Modus orandi, gratiasq; agendi
Patri aeterno.*

Hymnus.

Rerum ô conditor, & repertor orbis,
 Expers principij, carensque fine,
 Quem Patrē, ac Sabaoth Deū vocamus,
 Omnes quod sumus, aut vigem⁹, abs te est
 Quod verbis, animoq; prædicamus
 Grates & damus, & sacramus hymnos.
 Tu nos eripe vinculis Tyranni,
 Qui circumfremit, ac vorare tentat
 Insanos acuens furore dentes.
 Mundum sollicitat, premitq; Carnem,
 Ut mentem lacerent, trahant, laceffant,
 Virusque insinuent nocens medullis.
 Ergo tendimus ad superna palmas,
 Ut tu qui omnia contines, regisque,
 Afflictos recree . feram retundas.
 Tanto pectora libera hoste, numen
 Lingua, voceque lætiore sanctum,
 Vita & morte tuum colent beatiore.
 Sit tibi Patri laus, honorque Nato,
 Sancto Spiritui Deus; potestas
 Par, & vita quibus manet perennis.
 Amen.

GRATIAS ages Deo Patri de cunctis
 quidem beneficiis, præsertim verò
 de creatione. Item de amore, quo sic di-
 lexit

lexit mundum, vt Filium suum vnigenitū daret.

2. Offeres omnia vitæ, & passionis dilectissimi eius Filij merita, & in illorū vnione teipsum totum, præcipuè autem memoriam, & opera tua.

3. Petes quæ & tibi, & proximis tuis sunt necessaria; præcipuè tamen, vt memoriā tuam sanctis, piisque cogitationibus imbuat: vtque fortitudinem, & vires ad bona opera strenuè propaganda, itemque ad dæmonis tentationes propulsandas præbeat.

Omnia denique per Christi merita, in quo sibi benè complacet Pater, petes; dicēs: Per Dominum nostrum Iesum, &c.

Finem quoque facies, benedictionem à D. o Patre petendo illis verbis; Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus. Amen.

COMMENTARIOLVS,
sue breuis expositio singularum dictionum Orationis Dominicæ, accōmodata ad meditationē, & affectūs excitationem in orando vel meditandō.

PATER.

EXcelsus in creatione,
Suavis in amore,
Diues in hæreditate.

I 4

NOSTER

Iesu Christi per naturam.
 Hominum mortalium per gratiam.
 Beatorum per gloriam.

QVI ES.

Duratione æternus.
 Substantia infinitus.
 Bonitate optimus.

IN COELIS.

Speculum æternitatis.
 Corona iucunditatis.
 Thesaurus foelicitatis.

SANCTIFICETVR.

Per fidem viuam.
 Per spem solidam.
 Per caritatem inflammata.

NOMEN.

Gloria Filij tui,
 Maiestas tui sancti Spiritus.
 Paternitas tua.

TVVM.

Vt sis mel in ore.
 Melos in aure.
 Iubilus in corde.

TVVM ETIAM.

Vt tu solus glorificeris.
 Solus desidereris.
 Solus, ceu vltimus finis ameris.

ADVENIAT

Suprà à Patre luminum.

Intus ab anima.

Foris à gratia, non natura.

REGNUM.

Iustitiæ.

Gaudij. } in Spiritu sancto.

Pacis. }

TVVM.

Non huius mundi fallacis.

Non huius carnis mortalis.

Non diaboli impostoris.

SED TVVM.

Iucundum sine afflictione.

Tranquillum sine perturbatione.

Securum sine perditione.

FIAT.

Per tuum mandatum.

Per tuum consilium.

Per tuum, & cum tuo auxilio.

VOLUNTAS TVA.

Bona in creatione.

Beneplacens in redemptione.

Perfecta in iustificatione.

SICUT IN COELO.

Ad imitationem beatorum.

Ad similitudinem B. Virginis.

Ad modum Christi.

ET IN TERRA.

Vt quicquid tu non vis, nolimus.

Vt quicquid amas, amemus.

Vt, quicquid iubes, faciamus.

I S PANEM

PANEM NOSTRUM.

Panem lachrymarum.

Panem verbi Dei.

Panem sanctorum sacramentorum.

QUOTIDIANVM.

Quia sine illo morimur.

Sine illo nihil scimus.

Sine illo delinquimus.

DA.

Quia tibi proprium est dare,

Quia beatius est dare, quàm accipere.

Quia nostrum est à te accipere.

DA ETIAM.

Non Angelus, sed Filius.

Non homo, sed creator.

Non datum, sed dator.

DA DOMINE.

In Incarnatione verbum tuum.

In iustificatione Spiritum sanctum.

In glorificatione te ipsum.

NOBIS.

Indignis

Ingratis

Inutilibus

} seruis tuis.

HODIE.

In hoc die malitiæ.

In hoc die tenebrarum.

In hoc die miseriarum.

ET DIMITTE NOBIS.

Tu qui es misericordia.

Tu qui es fons gratiæ.

Tu qui in Cruce debitorum nostrorum po-
suiſti pretium.

DEBITA.

Contra tuam maiestatem commissa.

Contra proximi caritatem.

Contra nostram salutem.

NOSTRA.

Ea enim contraximus corde,

Profudimus ore.

Expleuimus opere.

SICVT ET NOS DIMIT-
TIMVS.

Si nos non dimittimus illis, tu non dimit-
tis nobis.

Si eis dimittimus, filij tui per imitationem
sumus.

Si condonamus, verbis tuis parcemus.

DEBITORIEVS NOSTRIS.

Qui leuiter, } offenderunt nos, qui di-
Ignoranter, } gni sumus mille gehem-
lustè, } nis.

ET NE NOS INDVCAS.

Tollendo tuam gratiam.

Remouendo salutis media.

Tuam dulcem præsentiam subtrahendo.

Occasionem peccati permittendo.

IN TENTATIONEM.

Carnis, mundi, Diaboli.

Tu qui es liberator, saluator, & redemptor.

Nos.

Mortis filios, peccati seruos, Diaboli mancipia.

A MALO.

Præterito, }
Præfenti, & } Culpæ, &
Futuro } Pœnæ.

AMEN FIAT.

A te; Perte; }
In me, } vt fine vltimo.

*Modus orandi, gratiasq; agendi Domini
nostro IESU Christo.*

Hymnus.

IESU nostra redemptio,
Amor, & desiderium,
Deus creator omnium,
Homo in fine temporum.
Quæ te vicit clementia,
Vt ferres nostra crimina,
Crudelem mortem patiens,
Vt nos à morte tolleres?
Inferni claustra penetrans;
Tuos captiuos redimens,
Victor triumpho nobili,
Ad dextram Patris residens.

Ipla

Ipsa te cogat pietas,
 Ut mala nostra superes
 Parcendo, & voti compotes
 Nos tuo vultu saties.

Tu esto nostrum gaudium,
 Qui es futurus præmium:
 Sit nostra nostra in te gloria,
 Per cuncta semper secula, Amen.

1. Gratias ages pro beneficijs omnibus, præsertim quòd te suo pretioso sanguine redemerit; quòd tibi se ipsum in SS. Eucharistiæ Sacramento reliquerit, eiusq; te toties participem fecerit: quodq; aduocatus noster apud Patrem esse dignetur.

2. In vnione sui pretiosissimi sanguinis totum illi te offeres, præcipuè tamen intellectum, & verba.

3. Beneficia tibi, tuisq; proximis necessaria petes: præcipuè verò, vt intellectum cognitione summæ veritatis, tuæq; extremæ vilitatis illustret, vt tua verba eius honori, ac proximorum vtilitati propter ipsum deseruiant: vt scientiam denique tibi ad res dirigendas tribuat, eas duntaxat, que ad ipsius gloriam referantur. Cuncta per eius pretiosum sanguinem petes.

Finem facies, benedictionem petendo illis verbis: Vnigenitus Dei filius nos benedicere & adiuuare dignetur.

LITANIAE DE SAN-
CTISSIMO NO-
mine Iesu.

K Yrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Christe audi nos.
Christe exaudi nos.

Pater de caelis Deus.

Fili redemptor mundi Deus.

Spiritus sancte Deus.

Sancta Trinitas vnus Deus.

Iesu fili Dei viui,

Iesu potentissime,

Iesu fortissime,

Iesu perfectissime,

Iesu gloriosissime,

Iesu iucundissime,

Iesu charissime,

Iesu clarior Sole,

Iesu pulchrior Luna,

Iesu splendidior stellis,

Iesu admirabilis,

Iesu delectabilis,

Iesu honorabilis,

Iesu humillime,

Iesu pauperrime,

Iesu mitissime,

Iesu patientissime,

Iesu obedientissime,

Iesu castissime,

Miserere nobis.

Iesu

Iesu amator castitatis,
 Iesu amator pacis,
 Iesu amor noster,
 Iesu speculum vitæ,
 Iesu exemplar virtutum,
 Iesu decus morum,
 Iesu zelator animarum,
 Iesu refugium nostrum,
 Iesu pater pauperum,
 Iesu consolator afflictorum,
 Iesu thesaurus fidelium,
 Iesu gemma pretiosa,
 Iesu armarium perfectionis,
 Iesu bone pastor ouium,
 Iesu stella maris,
 Iesu lux vera,
 Iesu sapientia æterna,
 Iesu bonitas infinita,
 Iesu gaudium Angelorum,
 Iesu Rex Patriarcharum,
 Iesu inspirator Prophetarum,
 Iesu magister Apostolorum,
 Iesu Doctor Euangelistarum,
 Iesu fortitudo Martyrum,
 Iesu lumen Confessorum,
 Iesu sponse Virginum,
 Iesu corona Sanctorū omnium,
 Propitius esto. Parce nobis Iesu.
 Propitius esto. Exaudi nos Iesu.
 Ab omni malo. Libera nos Iesu.

Miserere nobis.

Ab

Miserere nobis.

Iesu

Ab omni peccato.

Ab ira tua.

Ab execranda iurandi consuetudine.

Ab omni periurio, & blasphemia.

Ab insidijs diaboli.

A peste, fame, & bello.

A transgressione mandatorum tuorum.

Ab incurfu omnium malorum.

Per Incarnationem tuam.

Per Circuncisionem tuam.

Per caelestem nominis Iesu impositionem.

Per dolores tuos.

Per flagella tua.

Per mortem tuam.

Per resurrectionem tuam.

Per ascensionem tuam.

Per gaudia tua.

Per gloriam tuam.

Per dulcissimam virginem matrem tuam.

Per intercessionem omnium sanctorum tuorum.

Peccatores. Te rogamus audi nos.

Vt dulcem melliflui nominis IESU memoriam in tabulis cordis nostri digito tuo inscribere digneris. Te rogamus.

Vt nomen hoc sanctissimum, & viuentes in opere, & morientes in ore habere mereamur.

Libera nos Iesu.

reamur. Terogamus audi nos.
 Ut benignissime IESU, nobis sis IESUS,
 Terogamus audi nos.

Agnus Dei, &c. Parce nobis IESU.

Agnus Dei, &c. Exaudi nos IESU.

Agnus Dei, &c. Miserere nobis Iesu.

Iesu Christe audi nos.

Iesu Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie elei-
 son. Pater noster.

Vers Et ne nos, &c. *Resp.* Sed libera, &c.

Vers. Sit nomen Domini benedictum.

Resp. Ex hoc nunc & vsque in seculum.

Vers. Non nobis Domine, non nobis.

Resp. Sed nomini tuo da gloriam.

Vers. Exurge Domine, adiuua nos.

Resp. Et libera nos propter nomen tuum.

Vers. Domine exaudi, &c. *Resp.* Et clamor,
 &c.

ORATIO.

DEVUS, qui gloriosissimum nomen Ie-
 su Christi filij tui, Domini nostri, fe-
 cisti fidelibus tuis summo suavitatis
 affectu amabile, & malignis spiritibus tre-
 mendum atque terribile: concede propi-
 tius, vt omnes qui hoc nomen IESU de-
 uotè venerantur in terris, sanctæ consola-
 tionis dulcedinem in præsentî percipiant,
 & in futuro gaudium exultationis, & in-
 terminabilis beatitudinis obtineant in cæ-
 lis. Per eundem Dominum nostrum Iesum
 Chri-

Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

*Modus orandi, gratiasq; agendi
Spiritu sancto.*

Hymnus.

Veni sancte Spiritus, & emitte caelitus,
lucis tuæ radium.

Veni pater pauperum, veni dator mi-
nerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animæ,
dulce refrigerium.

In labore requies, in æstu temperies, in fle-
tu solatium.

O lux beatissima, reple cordis intima, tuo-
rum fidelium.

Sine tuo numine, nihil est in homine, ni-
hil est innoxium.

Lava quod est sordidum, riga quod est ar-
idum, sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum, fove quod est sti-
gidum, rege quod est devium.

Da tuis fidelibus, in te confidentibus, faci-
septenarium.

Da virtutis meritum, da salutis exitum, da
perenne gaudium, Amen.

1. GRATIAS ages pro beneficijs omnibus in te collatis, ac præcipuè, quòd te ad factum baptisimatis gratiam perduxerit, & ex Christianis te nasci parentibus, ac ab iisdem in fide Catholica educari voluerit; quodque à pristino tuo viuendi genere ad frequentem Sacramentorum perceptionem traduxerit.

2. In vnione meritorum, ac sanguinis Domini nostri IESU Christi totum illi te offeres, & præsertim verò voluntatem, & cogitationes.

3. Beneficia tibi, tuisque necessaria petes, præcipuè verò, vt voluntatem tuam tanto caritatis, igne inflammet, vt nullam tentationis, vel tribulationis procellam extinguat: vt tua voluntas diuinę ipsius voluntati semper sit conformis: tuas item cogitationes castas, & puras efficiat: tibiq; bonitatem, ac sanctitatem, & septem illa dona sua largiri dignetur, quo anima tua templum ipsius effici mereatur; eaque omnia per IESU Christi pretiosum sanguinem petes.

Finem facies, ipsius benedictionem petendo: Spiritus sancti gratia illuminet sensus, & corda nostra, Amen.

PARS.

PARS TERTIA.

Peculiare exercitium de Cruce, & passione Domini nostri, ferijs sextis, & in Quadragesima crebrò à pijs Sodalibus vsurpandum.

Quotidiana lectio boni Christiani, à B. Bernardus, debet esse recordatio Dominicæ passionis. Nihil arbitratus sum me scire inter vos, ait S. Paulus, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Sed et ipse Dominus Iesus amicis suis quibusdam indicauit, nullum obsequium sibi esse, aut esse posse gratius, quàm quod in meditata Passione sua sibi deferretur. Quocirca magna esse cura debet pijs Christianis, vt libellum aliquem habeant, ex plurimis, qui de hac materia editi sunt, ex quo materiam sibi ad meditationem necessariam decerpant; ne contingat tam salutare Exercitium à quoquam negligi. Quòd si quibusdam Sodalibus non sit eiusmodi liber in promptu; ne illis in hac re, quæ maxime cordi esse debet, quicquam desimus, subiicimus sequentia Exercitia.

PRIMUM EXERCITIUM.

I CONSIDERATIO: Quis patitur? Dignitate Deus, qui maiestate cælum replet & ter-

& terram. 2. homo nobilis, ex stirpe regia
 Dauidis, de Spiritu sancto conceptus in
 virginis utero. 3. Si intellectum spectes, do-
 ctissimus; si voluntatem, sanctissimus, at-
 que integerrimus, qui nullo vnquam erro-
 re, aut peccato vel Deum offendit, vel ho-
 minem læsit. 4. Si conuersationem atten-
 das, grauissimus, nunquam ridere visus, la-
 chrymari sæpius, & quidem deflendo pec-
 cata nostra. 5. Si formam, totiusq; corpo-
 ris dignitatem; speciosus est forma præ fi-
 lijs hominũ, complexione tenerimus. Tã-
 tus, & tam admirabilis, ô homo, patitur.

2. Pro quo patitur? Non pro diuinissimis
 illis Spiritibus, Cherubinis ac Seraphinis;
 sed pro hominibus, pro luto & cinere, pro
 peccatoribus ingratis; pro te in parti-
 culari vilissimo homuncione; æternis ig-
 nibus digno, &c. Et non commoueris?

3. Quare patitur? Nulla illi patiendi pro-
 se necessitas: non quia aliquid cognouit in
 nobis bonum aut dignum, pro quo pate-
 retur: non quòd habeat nobis opus: non
 quòd accedat illi quicquam, ac detrahatur,
 siue salutem, siue damnationem incurra-
 mus: patitur ergo ex solo amore, pietate, &
 misericordia vtrò, spontè, alacriter. O bo-
 ne I E S U, quid tibi est? mori nos debui-
 mus, & tu soluis? nos peccauimus, & tu
 soluis? opus sine exemplo, gratia sine meri-

to, charitas sine modo.

4. Quid patitur? Nihil in ipso, dolore
cum: corpus, corporisque omnes sensus
anima item, eiusque omnes potentiae,
niquè quicquid in Christo fuit, suas pa-
nas sustinuit. Pœnæ quoque fuerunt
bissimæ, tum ex corporis tenerrima
stitutione, tum quòd nullo interno
tio, ad ferendum suavius, subleuaretur
tu, ô Christiane, sub spinoso capite
delicate miles, nihil pati vis, aut potes?

SECUNDVM EXERCITIVM.

Genera pœnarum, & cruciatuum, quæ
in passione Domini concurrerunt.

1. *Amara
separatio
matris, ac
Filij.*

PRIMUM est: Amara illa separatio
tris ac filij, cum Dominus iur^o ad
tem, aman^{issimæ} matri valedixit.
Quàm enim acerbum fuerit matri, & ta
matri, tam duro diuortio valedicere filio
& tali filio, eunti ad mortem, & tale
mortem?

2. *Iudæ pro
ditio, Petri
negatio, di-
scipulorum
fuga.*

2. Dolor ingens, quem hausit ex Iudæ
proditoris nefando scelere & inrestitu
Petri amantissimi discipuli negatione,
discipulorum cæterorum fuga, & infideli
tate; quos omnes tenerrimè diligebat,

paulò antè dulci sermone, & cibo corporis & sanguinis sui refecerat. Quam graue erat vendi, ac prodi tantum principem, & doctorem vilissimo pretio, à proprio discipulo, atrocissimis inimicis; à discipulis deseri, à primario negari.

3. Mœstitia illa ingens, anxietas, & agonia in horto: quando ex nimio pauore factus est sudor eius sicut guttè sanguinis decurrentis in terram.

3 Mœstitia,
& agonia
in horto.

4. Ignominia, ac infamia, quam accepit Dominus Iesus, dum toties ab vno loco in alterum, ab Anna ad Caipham, ab illo ad Pilatum, ab eo ad Herodem, & iterum ab Herode ad Pilatum manibus vinctis, satellitibus stipatus atrocibus, per publicas plateas, tanquam sicarius quidam ac latro duceretur, ac verius captaretur.

4 Ignomi-
nia, ac infamia
multiplex.

5. Contumeliæ ingentes, & multiplices, quas sustinuit, cum nunc alapis caderetur, nunc conspueretur, arundine percuteretur, velaretur oculis, alba veste, & sordida purpura indueretur, Barabbæ infami latroni postponeretur, minus eo vita dignus censeretur, & id genus contumeliarum, conuictiorum, irrisionum pateretur.

5 Contume-
liæ ingen-
tes, & varia.

6. Flagellatio ad columnam; quæ non tantum immanissima fuit, sed etiam ignominiosissima.

6 Flagel-
latio.

7. Coronatio, in qua acerbissimus & ignominiosissimus.

7 Corona-
explicata.

explicabilis dolor, & cruciatus, cum intolerabili ignominia concurrebant. O quid erat videre Regem cæli & terræ tractari? Anni belua immanius? Carnem illam virginem dirissimis flagellis laniari & discerpi; pretiosum illud caput sentibus aperiri & lacerari.

8. *Egressio ad populū.*

8. Egressio illa cum purpureo indumento, & corona ad conspectum futentis populi, clamantis; crucifige, crucifige. Stabat bonus Iesus deformis, & leproso similis, clamante Pilato; Ecce homo. & quis ille homo, & quantus, & qualis iam? quæ hominis in eo species?

9. *Gestatio Crucis.*

9. Gestatio propriæ Crucis, ac deductio per publicas ciuitatis magnæ plateas, inter nefarios latrones, satellites, inter adstantium dictoria, voces, ludibria, &c.

10. *Crucifixio.*

10. Crucifixio, genus mortis crudelissimum, prolixum & turpe: in quo tormenta omnia renouata; in quo inexplicabilis manus, pedum, neruorum, venarum concussio, extensio, ac tormentum ingens totius corporis.

11. *Matris in cruce adspectus.*

11. Matris dilectissimæ, ac amati discipuli perpetuus adspectus. Non ignorabat bonus Iesus admirabiles cruce, & tormenta, quibus amantissime matris suæ concussa ciabatur.

12. *Mors.*

12. Amara separatio corporis & animæ,

inter quæ summus semper amor fuerat, nulla rebellio, nulla pugna. Moritur ergo Angelorum rex & Dominus, in flore ætatis, viuis & integris sensibus, moritur amor noster indebita morte, cum summa angustia, totus afflictus, totus lacer, anxius, sitibundus, fatigatus.

TERTIVM EXERCITIVM.

Virtutum consideratio, qua in Passione Domini admirabiliter splendent.

1. Humilitas admirabilis, qua se exinanivit, & ab omnibus contemni, ac despici passus est, ne nos extollamur animo, sed illius amore contemni quoque, ac despici libenter velimus. *Humilitas.*
2. Obedientia, in re difficillima, ad mortem usque, & quidem Crucis; vt nos etiam obediamus prepositis nostris, in ijs rebus maximè, vbi sensualitas nostra repugnat. *Obedientia*
3. Patientia, inter tot genera sibi succedentium cruciatuum, vt nos discamus cõuitia, & iniurias deglutire, ac obliuisci, nec verbis, nec minis, nec voluntate, nec signis vlc' sci. *Patientia.*
4. Constantia, siue perseuerantia, qua neque flagitijs, neq; spinarum aculeis, neque

K que

que clavis, neque Cruce à cursu procuranda salutis nostræ diuelli potuit. Itidem & nobis faciendum.

Mansuetudo.

5. Mansuetudo instar ouiculæ innocetis; vt hinc discamus & nos tacere, cedere, obmutescere ad vitandas contentiones & iurgia.

Caritas.

6. Caritas, qua sitiuit salutem nostram, qua pro crucifixoribus orauit; qua dolorum suorum oblitus, cogitationem, atque curam suam conuertit ad lucrandam animam alterius latronis; vt discamus & nos animarum salutem in omni loco querere ac sitire.

Contemptus mundi.

7. Contemptus mundi: Nam pendens à Cruce rex noster, non alium thronum habuit, quàm patibulum; non aliam coronam, quàm spineam; non alias epulas, quàm fel & acetum: non alios comites, quàm duos suspensos fures; non alios consolatores, quàm amarulētos illos miseros. Et nobis igitur mundus iste vilescat, & omnis gloria, ac voluptas illius.

Hæc autem puncta non simul omnia, sed nunc vnum, nunc alterum, siue secundum exercitij, siue primi, expendi debent. & peruenient pauca hæc aditum ad maiora, & vehementer accendere poterunt voluntatem & affectum, si debita præparatione, & diligentia examinentur, præmissa præparatione.

ratoria oratione, affixaque imaginatione nostra in Christum patientem, vel in ea loca, quibus passus est; eo modo & ratione quam postea paucis explanabimus, quando agemus de oratione mentali.

Oratio ad Iesum, pro percipiendo fructu passionis.

Obscuro te, Domine IESU CHRISTE, ut passio tua sit virtus mea; qua muniar, protegar & defendar. Vulnera tua sint mihi cibus & potus, quibus inebrier, & delecter. Aspersio sanguinis tui sit omnium peccatorum meorum ablutio. Mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas, studium, gaudiū, desiderium corporis & animæ, nunc, & in perpetuum, Amen.

K 2

LI.

LITANIAE DE PASSIO-
NE DOMINI NOSTRI
Iesu Christi.

K Yrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.

Iesu Christe audi nos.

Iesu Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus.

Fili redemptor mundi Deus.

Spiritus sancte Deus.

Sancta Trinitas vnus Deus.

Iesu triginta argenteis appretiate.

Iesu ad discipulorum pedes incli-
nate.

Iesu in oratione prostrate.

Iesu in agonia sanguineo sudore
perfuse.

Iesu osculo à Iuda tradite.

Iesu à ministris ligate.

Iesu à discipulis derelictæ.

Iesu Annæ, & Caiphæ presentate.

Iesu alapa à ministro percussæ.

Iesu falsis testibus accusate.

Iesu reus mortis iudicate.

Iesu in faciem conspate, oculis ve-
late, colaphis cæse.

Iesu à Petro ter negate.

Iesu vinctus Pilato tradite.

Iesu ab Herode, & eius exercitu

Miserere nobis.

sprett,

sprete, & illuse.
 Iesu veste alba indute.
 Iesu Barabbæ postposite.
 Iesu flagellis cæse.
 Iesu propter scelera nostra attrite.
 Iesu veste purpurea indute.
 Iesu spinis coronate.
 Iesu arundine percusse.
 Iesu à Iudæis ad Crucē postulate.
 Iesu morte turpissima condēnate.
 Iesu voluntati Iudæorum tradite.
 Iesu Crucis pondere grauate.
 Iesu vestibus exute.
 Iesu clavis in Cruce confixe.
 Iesu cum iniquis reputate.
 Iesu à prætereuntibus blasphema-
 te.
 Iesu à Iudæis derise.
 Iesu à militibus illuse.
 Iesu à latrone iniurijs lacessite.
 Iesu opprobrijs saturate.
 Iesu felle & aceto in siti potate.
 Iesu vsque ad mortem Crucis obe-
 diens facte.
 Iesu lancea transfixe,
 Iesu de cuius latere exiuit sanguis,
 & aqua.
 Iesu de Cruce deposite.
 Iesu in monumento nouo tumu-
 late.

Miserere nobis.

Iesu, cuius liuore sanati sumus, miserere.
Iesu pro nobis crucifixe, mortue, & sepul-
te, Miserere nobis.

Agnus Dei, &c. Parce nobis IESU.

Agnus Dei, &c. Exaudi nos IESU.

Agnus Dei, &c. Miserere nobis.

Iesu Christe audi nos.

Iesu Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie elei-
son.

Pater noster.

Vers. Et ne nos inducas, &c.

Resp. Sed libera nos, &c.

Vers. Domine exaudi, &c.

Resp. Et clamor meus, &c.

ORATIO.

Domine IESU Christe, fili Dei viu-
di, hora sexta, pro redemptione
di, crucis patibulum ascendisti, & sac-
guinem tuum pretiosum in remissionem
peccatorum nostrorum fudisti; te humili-
ter deprecamur, vt post obitum nostrum
paradisi ianuas nos gaudenter introire
cedas. Qui viuis & regnas Deus in secula
culorum, Amen.

PAR

PARS QUARTA.

Puncta aliquot circa venerationem Sanctorum utilissimè expendenda.

1. CONSIDERABIS Sanctos esse coheredes Christi, & cæli principes, iamque in æterna illa gloria collocatos; ab SS. Angelis, ipsaq; SS. Trinitate honorari, cuius beatissima visione perfruuntur, ex quo cognoscas, quo honore & obseruantia à te coli debeant.

2. Considerabis Sanctos maxima tibi & innumerabilia beneficia à Deo impetrare posse, sicut multis adhuc alijs impetrarunt: Itaque concludes vehementer tibi expedire eos habere amicos; in hora potissimum mortis, in qua circumdatus impuris spiritibus ad exitum tuum paratissimis, felix eris, si aliquos tibi Sanctos à te diligenter cultos assistentes tibi habere possis, qui te iurent, qui tartareas eas furias in fugam vertant, ac te æternæ beatitudini, in qua nunc triumphant, adscribendum à Deo impetrent.

3. Procurabis tibi confusionem, conferens Sanctorum vitam cum tua; quantum nimirum hæc flagitiosa sit, & differat ab illorum pia conuersatione; ponderando ita ex vna parte virtutes eorum, & mores

sanctos, ex altera multitudinem tuorum peccatorum.

4. Pones tibi ob oculos sanctorum labores & ærumnas, quas in hoc mundo pro Christo Domino assidue pertulerunt; ipsorum fidem, spem, caritatem, humilitatem, obedientiam, patientiam, constantiam, zelum, inuictam in certaminibus, & tormentis fortitudinem, in superabilem in capessenda morte alacritatem, denique Apostolorum, Martyrumque inclitam firmitatem, ac in medijs difficultatibus perseverantiam. Confessorum verò, monachorum, religiosorum vigilias, ieiunia, solitudines, vitæ asperitates, corporis mortificationes, studia, pœnitentias, lachrymas, & cætera id genus pietatis Exercitia. Virginum denique, & sanctarum mulierum integerrimam castitatem, exhaustos pro ea seruanda labores, angustias, persecutiones, torturas, flammæ, mortes; quæ quidem omnia admirabilis consecuta est beatitudo, & gloria nullis annorum myriadibus terminanda. Contra verò videbis, quæ breui felicitas, impiorum (si modò felicitas, quæ illos rapit ad æternos cruciatus appellanda est) finiatur, pœna eam subsequente intolerabili, & in omnem duratura æternitatem.

5. Postremò, excitabis te ad amorem Dei.

Dei, qui auctor & principium fuit omnis illius Sanctorum virtutis, & sanctitatis, ac per consequens gloriæ cælestis, quæ eam sanctitatem excepit. Tantum itaque tantorum bonorum fontem, & auctorem amabis & admiraberis, gratiasque illi, quantas poteris, ages de omni eius gratia & misericordia concessa sanctis; quam rogabitis etiam tibi concedi, & donari, ut ad eorum Societatem pertingere aliquando possis.

PARS QUINTA.

Quid sibi velit Sanctorum electio, & sententiarum distributio; quæ in Sodalitate fieri solet?

Sodalitas in primis ad augendum in alumnis suis Sanctorum cultum, & honorem; ad persentiendam ipsorum meritis & suffragiis opem Dei, efficacius, mensibus singulis unicuique Sanctum aliquem designat, quem quisque toto mense colat; cui se crebro, mane potissimum, & vespere commendet, quem sacris illi feriis peculiari studio, cultuque observet, & veneretur; in eius scilicet honorem diuinam rem audiendo; vitam eius, si possit, legendo; recitando aliquas illorum laudes, ut sunt hymni,

K s; ni,

ni, psalmi, aut id genus aliarum orationes; faci-
 ciendo aliquos deuotionis actus, ut sunt
 genuflexio, unctio pectoris, refractio lin-
 guæ, fuga dissolutionis, carnis castigatio,
 & his similes mortificationes voluntariæ.
 Opus etiam aliquod misericordiarum obeun-
 do; insignem aliquam elemosinam fa-
 ciendo, &c. Denique virtutem eius aliquam
 ad imitationem sibi proponendo. Recte e-
 nim B. Chrysostomus: *Quem delectat Sancti
 alicuius meritum, delectare debet per circa cul-
 tum Dei obsequium.*

Deinde, præter Sancti electionem, ad-
 iungitur singulis sententia aliqua, vel ex
 Scripturis sacris, vel SS. Doctoribus de præ-
 cepta, eam ut obseruent, & quod monet, aut
 postulat, exequi studeant. Præterea nomi-
 natim certus aliquis ex Confratribus com-
 mendatur, pro cuius incolumitate & salute,
 toto mense, peculiari cura, alter Deo
 supplicet. Quod genus orationis ut Deo
 est gratissimum, ita & fructuosissimum
 ob virtutem caritatis, quam ea oratio in se
 complectitur. Pro se orare, ait quodam lo-
 co B. Chrysost. necessitas cogit; pro alijs au-
 tem, caritas fraternitatis hortatur. Dul-
 cior autem ante Deum est oratio, non quia
 necessitas transmittit, sed quam caritas
 fraternitatis commendat. Et beatus Gre-
 gorius in *Moralibus*; *Quisquis pro alijs in-*
 terco

tercedere nititur, sibi potius ex caritate suffragatur; & pro semetipso tanto facilius exaudiri meretur, quanto magis deuotè pro alijs intercedit.

Ad hæc pro negotio aliquo pio, aut Ecclesiæ necessitate aliqua, vel pro Ecclesiasticis, aut politicis magistratibus, principibus, dominis, &c. postulatur oratio. Itaque ea Sanctorum electio auget eorum in Sodalibus cultum, ipsorumque suffragia facile impetrat; fouet mutuam inter Sodales caritatem; facit ad Ecclesiæ, & Prælatorum bonum; aliasque utilitates & commoda adfert non mediocria; vt propterea non negligenda sit. Quia verò sæpè accidit, eorum Sanctorum, qui propositi sunt, res gestas à multis ignorari; aliqua in genere de ijs expendenda subiecimus; quæ etiam omnibus vsui erunt singulis Sanctorum ferijs ab Ecclesiâ solenniter institutis.

PARS SEXTA.

Orationes aliquot communes, & particulares ad Sanctos.

Subiungimus peculiare, & generales preces, vel ad omnes sanctos, vel ad sanctorum ordines aliquos, vel ad priuatum aliquè, vt in promptu sint sodalibus,

K 6

ad ex-

ad exhibendum patronis suis cultum, & au-
gendam Sanctorum venerationem.

Ad omnes Sanctos.

Hymnus.

CORONA Sanctorum omnium,
 IESU, rogantem respice
 Salute pro clientium
 Tuam parentem virginem.
 Cæli potentes principes,
 Archangelique, & Angeli,
 Dei que sacri interpretes,
 Conferte vota supplices.
 Et vos, piam qui Ecclesiam
 Rubris decoram floribus
 Plantaſtis almo sanguine,
 Apostolique, & Martyres.
 Vestra inuocamus Præsules,
 Et qui relictis omnibus
 Vitam paraſtis pauperem,
 Et Virgines, suffragia.
 Cuncti ô beati Cælites,
 Aeterna quorum gaudia
 Sunt iuncta, inunctis mentibus
 Vocem precantem iungite, Amen.
Antiph. Angeli, Archangeli, Throni, &
 Dominationes, Principatus, & Potestates,
 Virtutes cælorū, Cherubin atq; Seraphin,
 Patriarchæ, & Prophetæ, sancti legis Do-
 ctors,

Doctores, Apostoli, omnes Christi Martyres, sancti Confessores, Virgines Domini, Anachoretæ, Sanctique omnes intercedite pro nobis.

Vers. Lætamini in Domino, & exultate iusti.

Resp. Et gloriâmini omnes recti corde.

ORATIO.

C Oncede quesumus omnipotēs Deus, vt intercessio nos sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Sanctorumq; omnium Apostolorum, Martyrum, Confessorum atque Virginum, & omnium electorum tuorum vbiq; lætificet, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum. Amen.

AD SANCTOS ANGELOS.

Hymnus.

A Vete mentes lucidæ,
 Nostræ salutis vindices,
 Cælestis ore nuntij,
 Regis superni milites.
 Intra Tonantis regiam
 Choros agentes psallitis
 Lyris, molaunis, organis,
 Tribunal ante iudicis.
 Vos in Dracones Tartari
 Bellum cictis perpetim,

K 7

Ex.

Et nos ab orci faucibus.
 Manu potenti tollitis.
 Adeste cœtus inclyti,
 Adeste tot periculis,
 Et nos volatu præpeti,
 Inferte cœli sedibus.
 Summo parenti cœlitum,
 Magnæque proli virginis,
 Sancto simul paraclito
 Sit summa laus, & gloria. Amen.

LITANIAE DE ANGE-
 LIS SANCTIS.

K yrie eleison. Christe eleison. Kyrie
 eleison. Christe audi nos.
 Christe exaudi nos.
 Pater de cœlis Deus, Misere nobis.
 Fili redemptor mundi Deus, Misere no.
 Spiritus sancte Deus, Misere nobis.
 Sancta Trinitas vnus Deus, Misere no.
 Sancta Maria,
 Sancta Dei genitrix,
 Sancta virgo virginum,
 Sancta Maria, Angelorū Regina,
 Sancte Michael, Princeps Angelo-
 rum pacis,
 S. Michael præliator fortissime,
 S. Michael, qui populo Dei semper
 defensor fuisti,

Oratio pro nobis.

S. Mi-

S. Michael, qui Luciferū cum cōpli-
 cibus rebellibus de cęlo exturbasti.
 S. Michael, animarum susceptor.
 S. Gabriel, qui Danieli diuinam vi-
 sionem patefecisti,
 S. Gabriel, qui Ioannis Baptistę ortū
 & ministerium pręnunciasti,
 S. Gabriel, qui Incarnationis verbi
 diuini nuncius extitisti.
 S. Gabriel, Custos B. Virg. Marię,
 S. Gabriel, comes infantię saluatoris,
 & minister Christi fidelis,
 S. Raphael Angele Salutis,
 S. Raphael, Tobię ductor, & reductor
 fidelissime,
 S. Raphael, qui Dęmonem à Sara de-
 pulisti,
 S. Raphael Tobię senioris illumi-
 nator optime,
 S. Raphael, oblator orationum ante
 Dominum,
 Sancti Angeli, electos Dei conser-
 uantes,
 Vos dignissimi, munera cęlestia de-
 ferentes,
 Vos pręclarissimi, regna terrę custo-
 dentes,
 Nobilissimi, Principatus protegētes,
 Prudentissimi, Dominos, & Reges
 peculiari cura regentes,

Orate pro nobis.

Orate pro nobis.

For-

Fortissimi, dæmonis potētiam comprimentes.

Fidelissimi Dei ministri, homines custodientes,

Dulcissimi, hominum malitias temperantes.

Benignissimi, in peccatorum conuersione lætantes,

Piissimi, bona omnium mortalium Deo præsentantes.

Humanissimi, Prophetas erudientes.

Nunciij præstantissimi, Apostolis occurrentes,

Potentissimi, Ecclesiam Dei defendentes.

Sancti omnes Angeli ante thronum Dei seruiantes,

Per nobilissima naturæ vestræ munera, Purgate nos.

Per virtutem vestram nobis ineffabilem, Illuminate nos.

Per voluntatum vestrarum ardētissimam caritatem, Perficite nos.

Per gloriam, & beatitudinem vestram, Defendite nos.

Dirigite nos.

Christe, beatitudo Angelorum, Te rogamus audi nos.

Christe decus cælestium spirituum. Te rogamus audi nos.

Christe splendor exercituum supernorum, Te rogamus audi nos.

Orate pro nobis.

Per

Per Cherubin lignum vitæ custo-
 dentes,
 Per Angelum benedictionem tuam
 Abrahæ denunciātem,
 Per Angelum immolationem Isaac
 prohibentem,
 Per Angelos ortū Isaac prædicentes,
 Per Angelos ascendentes, & descen-
 dentes super scalam Iacob,
 Per Angelos Loth è medio peccato-
 rum educētes.
 Per Angelos diuinam legem Moyfi
 tradentes.
 Per SS. Angelos iugiter Deo Sanctus,
 Sanctus, Sanctus concinentes,
 Per Angelos de natiuitate tua exul-
 tantes, eamque Pastoribus annun-
 ciantes,
 Per Angelos tibi in deserto mini-
 strantes,
 Per Angelum te in agonia confor-
 tantem,
 Per Angelos iuxta sepulchrum tuū
 in albis sedentes,
 Per Angelos, te in cœlum ascenden-
 te, tuis discipulis apparentes,
 Per Angelos hostium exercitus fre-
 quenter dissipantes,
 Per Angelos, SS. Martyres in tormē-
 tis consolantes,

Terogamus audi nos.

Per J.

Per omnes Angelos tuos, vt nobis par-
cas, ad eorumque societatem perdu-
cas. Te rog.

Vt Angelis tuis mandes de nobis, vt cu-
stodiant nos in omnibus viis nostris.

Te rogamus audi nos.

Fili Dei, per omnes Angelos, ministros
tuos. Te rog.

Agnus Dei, &c. Kyrie eleison, &c.
Pater noster.

℣. Et ne nos inducas, &c.

℞. Sed libera, &c.

℣. In conspectu Angelorum psal lam tibi
Deus meus.

℞. Adorabo ad templum sanctum tuum,
& confitebor nomini tuo Domine.

℣. Domine exaudi, &c.

℞. Et clamor meus, &c.

ORATIO.

DEVS qui miro ordine Angelorum
ministeria hominumque dispensas,
concede propitius, vt quibus tibi mini-
strantibus in cælo semper assistitur, ab
his in terra vita nostra muniat. Per Chri-
stum Dominum nostrum. Amen.

Antiph. Angelis suis Deus mandauit de te,
vt custodiant te in omnibus viis tuis. In
manibus portabunt te, ne fortè offendas
ad lapidem pedem tuum.

℣. An-

¶ Angeli eorum semper vident:
Alleluia. R. Faciem Patris mei, qui in coelis est: Alleluia.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui me licet indignum, ad imaginem tuam creasti, & Angelum tuum sanctum ad mei custodiam deputasti; da mihi seruo tuo illius ducatu & custodia, malorum omnium tam animæ, quàm corporis pericula feliciter pertransire, & post huius vitæ curriculum, ad gaudia sempiterna facias pervenire. Per Dominum, &c.

Ad SS. Apostolos.

Hymnus.

Avete cœli principes,
Aucte mundi lumina,
Christi sequela nobilis
Mundi trementis arbitri.
Omnes in oras gentium
Cœli tulistis dogmata,
Pulsis malis erroribus
Vitæ dedistis semina.
Vos effugastis dæmonum
Tot spectra, tot ludibria,
Vos Infernorum luridis

Nos

Nos eruiſtis faucibus.

Iuuate nunc ô cœlites,

Quos procreaſtis filios,

Veſtris manum nepotibus,

Ne corruant, obtendite.

Summo Parenti Cœlitum,

Magnæque Proli virginis,

Sancto ſimul paraclito

Sit ſumma laus & gloria. Amen.

Aniſp. Iſti ſunt triumphatores, & amici
Dei, qui contemnentes iuſſa principum
meruerunt præmia æterna: modo coro-
nantur & accipiunt palmam.

Verſ. In omnem terram exiuit ſonus eo-
rum.

Reſp. Et in fines orbis terræ verba eo-
rum.

Oremus.

DEV S qui nos per beatos Apoſtoloſ
tuos ad agnitionem nominis tui ve-
nire tribuiſti, da nobis eorum gloriã ſem-
piternam & proficiendo celebrare, & cele-
brando proficere. Per Dominum, &c.

*Ad pecu-
liarem ali-
quem Apo-
ſtolum ora-
tio.*

Oremus.

SANCTI Apoſtoli tui N. quaſumus Do-
mine, ſupplicatione placatus, & ve-
niam nobis tribue, & remedia ſempiterna
concede. Per Dominum noſtrum, &c.

Ad

Ad SS. Martyres.

Hymnus.

AVE cohors fortissima;
Testes auete strenui,
Quos mortis horror imminens
Non flexit à sententia.

Vos pertulistis fortiter
Acerbiora funera,
Quàm parricidis debita,
Parata vel latronibus.

Non palluistis forcipes,
Ferrum, faces, nouaculas,
Tormenta mille lugubri
Quæ prodière Tartaro.

Nunc bella post acerrima,
Cælo triumphum ducitis,
Lætique tot victoriis
Palma decori viuitis.

Ne nos cadentes, viribus
Nec debiles relinquite,
Ne fortè nos vis impia
Sternat nigranti turbine.

Summo Parenti Cælitum,
Magnæque Proli Virginis,
Sancto simul paraclito
Sit summa laus & gloria. Amen.

Aniph. Multæ tribulationes iustorum,
& de omnibus his liberauit eos Dominus:
custodit omnia ossa eorum, ynum ex his
non

non conteretur.

Ps. Preciosa in conspectu Domini.

Rz. Mors sanctorum eius.

Oremus.

PRAESTA quæsumus omnipotens Deus, vt qui gloriosos martyres fortes in sua confessione cognouimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum nostrum IESUM Christum, &c.

*Ad quem-
cunque mar-
tyrem.*
Infirmi-
tatem nostram respice omni-
potens Deus; & quia pondus propriae actionis grauat, beati N. martyris tui, atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum, &c.

Præsta quæsumus, omnipotens Deus, vt intercedente beato N. Martyre tuo, & cunctis aduersitatibus liberemur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Ad SS. Episcopos.

Hymnus.

AVete sacri Præsules,
Antistites iustissimi,
Iter salutis inuiam
Qui reddidistis peruiam.

Virtutis almæ semitam
 Qui tradidistis gentibus,
 Qui veritatis candidæ
 Pugastis ob sententiam.
 Tot impiorum dogmata,
 Tot inquinatas hæreses,
 Sermonem, signis, moribus,
 Nostro fugastis clymate.
 Tristi migrastis seculo,
 Estis tamen superstites,
 Vestris norata literis
 Imago viuat nobilis.
 Quis posse der vestigiis
 Hæere nobis talibus?
 Præcepta quis salubria
 His figat in præcordiis?
 Summo Parenti cælium,
 Magnæque proli virginis,
 Sancto simul paraclito,
 Sit summa laus & gloria. Amen.

Antiph. Sacerdotes tui, Domine, induant iustitiam, & sancti tui exultent: propter David seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.

V. Elegit eos Dominus Sacerdotes sibi.

R. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Oremus.

Oremus.

EXaudi quęsumus Domine, preces nostras, & per beatos Confessores tuos atque Pontifices, qui tibi dignę meruerunt famulari, ab omnibus nos absolue peccatis, Per Dominum nostrum, &c.

*Ad quem-
cunque Pon-
tificem &
Confessorę.*

Deus qui conspicias, quia ex nulla nostra virtute subsistimus, cęcede propitijs, vt intercessione beati N. Cęffloris tui atque Potificis, contra omnia aduersa muniamur. Per Dominum, &c.

*Ad S. Do-
ctorę quę-
cunque.*

Antiph. O doctor optime, Ecclesię sanctę lumen, beate N. Diuinę legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

Vers. Amavit eum Dominus, & ornauit eum.

Resp. Stola glorię induit eum.

Oremus.

DEus, qui Ecclesiam tuam beati N. confessoris tui mira eruditione clarificas, & sancta operatione fęcundas; da nobis quęsumus, & quę docuit intellectu cęspicere, & quę egit, imitatione complere. Per Dominum, &c.

Ad SS. Religiosos, ac Eremitas.

AVete solitudinis,
Claustrique mites incolę,

Qui

Qui pertulistis impios
 Cætus furentis Tartari.
 Gemmas, & auri pondera,
 Et dignitatum culmina
 Calcastis, & fœdissima
 Quæ mundus offert gaudia.
 Vobis olus cibaria
 Fuêre, vel legumina,
 Potumque lymphæ præbuit,
 Humusque dura lectulum.
 Vixistis inter aspides,
 Sæuisque cum draconibus,
 Portenta nec teterrima
 Vos terruere dæmonum.
 Rebus procul mortalibus
 Mens auolabat feruida,
 Diuumque iuncta cætui,
 Hærebat inter sydera.
 Summo Parenti cælitum,
 Magnæque proli virginis,
 Sancto simul paraclito,
 Sit summa laus & gloria. Amen.

Antiph. Beati serui illi, quos cum ve-
 nerit Dominus, inuenerit vigilantes: Amen
 dico vobis, quod præcinget se, & faciet il-
 los discumbere, & transiens ministrabit
 illis.

V. Iustos deduxit Dominus per vias
 rectas.

R. Et ostendit illis regnum Dei.

L

Ors.

Oremus.

Adesto Domine supplicationibus nostris, quas in beatorum Confessorum tuorum memoria deferimus, ut qui nostris institutis fiduciam non habemus, eorum qui tibi placuerunt precibus adiuuemur. Per Dominum, &c.

*Ad quem-
cunque Ab-
batem.*

Intercessio nos quæsumus Domine, beati N. abbatis commendet, ut quod nostris meritis non valeamus, eius patrocinio assequamur.

*Ad quem-
cunque Cō-
fessorem nō
Abbatem.*

Concede quæsumus, omnipotens Deus, ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur, beati N. Confessoris tui patrocinio subleuemur.

Ad SS. Virgines & Viduas.

Hymnus.

AVete sanctæ Virgines,
Pares beatis mentibus,
Quæ puritate sydera,
Solisque flammæ vincitis.
Vos nil superbus terruit
Vultu Tyrannus horrido,
Nec perculere barbaro
Traiecta ferro viscera.
Non blanda mundi gaudia
Flexerunt vos, ô virgines,
Sed depulstis fortiter

Carnis

SODALITATIS.

288

Carnis ferocis impetum.

Agnum proinde proximè
Quocunque pergit, cingitis;
Per vos cohors cœlestium
Nouo resultat cantico.

Mentis perustæ maculas
Lauate rore mystico,
Vt corde puro lampades
Christo feramus obuiam.

Aucte sanctæ Viduæ,
Assuetæ piis fletibus,
Quas Christi mater optima
Veris solatur gaudiis.

Vos semper fide stabiles
Mansistis, instar Turturis
Pudici, nouos thalamos
Abhorruistis iugiter.

Summo Parenti Cœlitum,
Magnæque Proli virginis,
Sancto simul paraclito
Sit summa laus & gloria. Amen.

Antiph. Prudentes virgines aptate ve-
stras lampades : Ecce sponsus venit, exite
obuiam ei.

V. Adducentur Regi virgines post
eam.

R. Proximæ eius afferentur tibi.

Oremus.

DA nobis, quæsumus, Domine De-
us noster, Sanctarum Virginum

L 2 pal-

palmas incessabili deuotione venerari, vt
quas digna mente non possumus celebra-
re, humilibus saltem frequentemus obse-
quiis. Per Dominum, &c.

*Pro vna vir-
gine &
martyre.*

Indulgentiam nobis, quæsumus Do-
mine beata N. Virgo & martyr impleret,
quæ tibi grata semper extitit, & merito ca-
stitatis, & tuæ professione virtutis. Per Do-
minum, &c.

*Pro vna
virgine tã-
tuã.*

Auxilium tuum nobis, Domine, quæ-
sumus, placatus impende, & intercedente
beata N. Virgine tua, dexteram super nos
tuæ propitiationis extende. Per Domi-
num, &c.

Pro vidua.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, vt
sicut de beatæ N. sanctitate gaudemus, ita
piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Do-
minum, &c.

Obserua pie Sodalis, posse te singulis die-
bus vnum deligere Sanctorum Ordinem, ad quem
conuertas animum, & has hymnos, & oratio-
nes. Exempli gratia: Die Dominico memor e-
ris sanctissimæ Trinitatis. Feria 2. Angelo-
rum. 3. Apostolorum. 4. Martyrum. 5. Con-
fessorum. 6. Virginum. Sabbatho. Beatæ Virginis
Mariæ.

Potes etiam die Dominico exercitium de
sanctissima Trinitate vsurpare. Fer. 2. de Deo
Patre. 3. De Filio. 4. de Spiritu sancto. 5. de ve-
nerabili Sacramento. 6. de Passione Domini.

Sabba-

*Sabbatho, de beata Virgine: sic nullas dies abeat,
quin aliquod ex præscriptis exercitiis vsurpes.*

PARS SEPTIMA.

*Vtilitates & bona cœtuum publi-
corum.*

Diebus quoque sacris Sodalitatis cœtus frequentandi sunt; adhibenda etiam priuata librorum sacrorum lectio: congregiendum quoque cum piis ac sinceris sodalibus, iis, inquam, quibuscum meliores esse possimus; quibus de rebus omnibus subiiciemus pauca.

Merito autem Sodalitatis regule publicos sodalium cœtus frequentes constituunt. Nihil enim eiusmodi conuentibus utilius.

Primum enim ad Sodalitatis oratorium conuenire aliud nihil est, quàm præsentia aliqua B. virginis perfrui. Ipsa enim eum Sodalitati præsideat, haud dubiè singulariter in illis cœtibus præsidet, præsentiam suam alumniis suis exhibet, bona tunc sua omnibus maximè impertitur & communicat, eosdem filio suo commendat, & tanquàm delicias suas ei offert, cui scit delicias reputari esse cum filiis hominum.

*1. Vtilitas
cœtuum pub-
licorum est
fructus præ-
sentie B.
Virginis.*

2. *Mutua So-*
dalium So-
sietas.

Deinde in publicis illis cœtibus Sodales mutua societate, adspectu, & præsentia gaudent, quibus proculdubio bonum & iucundum est, si non habitare, sæpe tamen cogi in vnum; quoniam scilicet, mandat illic Dominus benedictionem.

3. *Communi-*
catio mu-
tua bonorū
operum, &
virtutum.

Præterea, cum inter se Sodales conveniunt, mutuo quasi sibi bona opera, virtutesque communicant. Quicquid singuli habent boni affectus, voluntatis sanctæ, ac meriti, in commune, quasi spirituale aliud quod symbolum conferunt. Non defuerit sæpè, qui confirmaverint ipso solo ingressu in Sodalitatis Oratorium, vel cum frigidus essent, calefactos, vel cum tepidi, confirmatos se fuisse. Sicut enim, si quis in aulam, in qua luculentus focus est, ingreditur, non potest non caleferi; ita qui in Oratorium B. Virg. & illius præsentia illustratum, & tot propè ignibus, quot Sodales sunt, calefactum pedem infert, non potest non Dei amore inflammari, & spiritualis ignis scintillas perferentescere.

4. *Indul-*
gentie.

Adhæc quotiescunque Congregationibus intersunt, quoties exhortationem audiunt, vel alicui pio officio, quod in defuncti alicuius gratiam exercetur, præsto adsunt, toties pro singulis eiusmodi operibus, vnius Anni Indulgētiam sodales obtinent.

Postre-

Postremò, vt alia omittamus, exhortationis alicuius piæ, & ad institutum, fructumque Sodalium accommodæ beneficioperfruuntur Sodales: Publici precibus, quæ pro viuis, & defunctis offeruntur Deo, matrique gloriôsæ, intersunt, seque dignos efficiunt, qui vicissim, quando postulabit necessitas, commendentur & aliorum adminicula experiantur. Ex quibus omnibus luce clariùs apparet, quantum virtutis, pietatis, bonorum exemplorum, meritorum, subsidiorum, patrociniij virgineæ, ac cæterarum salutem promouètiun rerum iacturam faciant, & quàm se indignos Sodalitate constituent, qui facilè ab eiusmodi cœtibus absunt, & minima seculari occasione, Congregationes negligunt.

PARS OCTAVA.

De priuatis sodalium inter se congressibus.

Sicut prauorum societate nihil periculosius, quòd facilè sit malorum exemplis verbisque, & consuetudine impelli in malum; ita bonorum sodalium priuatis cōgressibus, ac societate nihil melius: nihil enim perinde ad virtutē excitat, quàm

ante oculos sunt exempla probitatis. Vt autem hæc bonorum Sodalium consuetudo, & familiaritas periculis vacet, sancta sit, & spiritualis curandum est. Talis erit, si Dei, & salutis potissimum causa suscipiatur.

Officia sanctæ amicitiae.

Huius autem amicitiae, priuatorumque inter sodales congressuum officia sunt tria potissimè. 1. Vt sese mutuò excitent, & inflamment ad cultum Dei, & beatissimæ virginis. 2. Vt se inuicem liberè moneant, si quando aliquis à boni Sodalis officio alienum quippiam faceret aut diceret. 3. Vt inter se de bonis, & salutaribus rebus colloquantur; qua quidem re nihil Deo, parentique eius gratius; nihil ad virtutem accommodatius.

Materia bonorum colloquiorum.

Materia autem horum colloquiorum esse potest. Qua ratione virtus talis, aut tale vitium declinandum; quo modo augeri possit in Sodalitate, & in se, ac aliis B. Virginis cultus; quo pacto tales vel flagitiosi, vel parum pij adolescentes iuuari, ad bonumque pellici possint; Quæ virtutes in quibusdam sanctioribus adolescentibus eximie eluceant; quæ impios & pericula, & mala maneant, quæ bonos gloriæ spes, bonaque expectent, &c. Augebunt, & oblectabunt priuatam eam consuetudinem exemplorum piorum narratio; eorum quæ

audie-

audierint vel legerint commemoratio; de studiis quoque, & scientiis humanioribus collocutio; omnis denique sermo ex se bonus, ac ad maius bonum promouens.

PARS NONA.

De piorum librorum lectione diebus praesertim festis, dominicisque usurpanda.

Librorum sacrorum, piorumque lectio Dominicis praesertim, festisque diebus usurpanda est. Si enim externis occupationibus, ac negotiis, chartisque vel forensibus, vel domesticis, aut studiis prophanis integras hebdomadas damus, merito, dies festos Deo, & saluti animae nostrae dicatos, piis studiis, auditioni verbi DEI, & sacrae lectioni tribuere debemus. Nolumus hoc loco ingentes utilitates, quae eiusmodi sacrorum librorum lectionem consequuntur exponere; satis enim multi multa hac de re scripserunt, & quotidiana ipsa experientia plus satis id confirmat. Danda autem in primis est opera, ut non multa simul legantur, aut obiter percurrantur. 2. Ut quae lecta fuerint & notata, ad nos ipsos accomodemus, & ad salutem nostram referamus. 3. Vna dispicienda

quae obseruanda sunt in piorum librorum lectione.

L 5 dum

dum est, qua ratione suis temporibus et quoque possimus in aliorum utilitates conuertere. 4. Prodest non mediocriter, vt in aliquibus egregiis sententiis hæreamus diutius, & quæ lecta fuerint, expendamus, & rulinemus, ea vt oblectent magis, & benè comparato stomacho gratiora accidant. 5. Plus semper in lectione inquirendum, quòd mors nostros ad virtutem instruat, quàm quòd intellectum acuat ad disputandum, vel linguam expoliat ad eloquendum. 6. Lectionem debet præcedere & subsequi, immò nonnunquam comitari & interrumpere oratio, vt nimirum non tantum erudiat intellectus per lectionem, sed & inflammetur affectus per orationem.

PARS DECIMA.

*De adhibenda diligentia in Sacrificio
Missæ vel celebrando, vel
audiendo.*

Postremum Exercitium, quod diebus Dominicis & festis, nō postremò, sed primò, & principaliter Christianis omnibus, idque sub peccato mortali (ni legitima causa excuset) faciendum incumbit, est Sacrosancti, & augustissimi Missæ sacrificii.

erificij vel celebratio, vel auditio. Quin etiam Sodalitatis Regula sexta, quotidie sodalibus audiendum sacrum, admoner.

Quam verò sacerdotibus vel quotidie, vel sæpè Missam celebrare conueniat, sequens beati Bonaventuræ sententia demonstrabit. Sic igitur ille: Sacerdos non legitime impeditus celebrare omittens quantum in eo est, priuat sanctam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio & gratia, In purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spiritali Christi beneficio, seipsum medicina, & remedio. Laicis verò quàm expediat rei huic diuinissimæ quotidie interesse, admirabiles sacrificij Missæ fructus, effectusque eximij; Sanctorum exempla, Regum etiã & Principum; innumera quoque miracula; ac omnium maximè, ipsius sacrificij dignitas & maiestas, mysteriaque eius augustissima docent, & clamant.

*In tract. de
preparatione ad
Missam.*

GREGORIVS XIII. PONT. MAX.

*concessit cuilibet Sacerdoti dicenti,
ante celebrationem Missæ, quæ sequuntur, 50. annorū Indulgentiam.*

E Go volo celebrare Missam, & conficere Corpus, & Sanguinem Domini

L 6

mini

mini nostri Iesu Christi, iuxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei, totiusque curiæ triumphantis; ad utilitatem meam, totiusque Curie militantis, pro omnibus, qui se commendauerunt orationibus meis in genere, & in specie, & pro felici statu sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ poenitentiae, gratiam & consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotēs & misericors Dominus. Amē.

Gregorius verò XIII. omnibus Sodalibus, qui Missæ sacrificio diebus feriatis interfuerint, concessit vnus anni Indulgentiam.

PARS VNDECIMA.

Modus vtiliter audiendi Sacri.

Missæ sacrificiū repræsentatio est sacrificij, à Christo Iesu in cruce peracti. Vnde sacerdos gerit personā Christi patiētis, & tota Missæ actio similitudinem habet cū Christi Passione. Quocircā modus optimus audiendi sacri, meriti, gratiæ, & cōsolationis, plenissimus; is est, quo, vel toto decursu sacrificij, vel aliqua eius parte,

Christi

Christi Passio mente, & affectu decurritur.

Attendendum autem ad 4. potissimè in au- *Attendendum ad 4.*
dicatione Missæ.

1. Est, peccatorum confessio, quam sacer *in auditio-*
dos initio præmittit; quæ Christi Iesu ora- *ne Missæ.*
tionem pro peccatis totius generis huma- *1 Confessio*
ni in horro factam representat. Ad eam er- *peccatorum*
go confessionem, Missam audiens atten-
dere debet, vt & ipse peccatorum suorum
veniam roget, absolutionem que à sacer-
dote, tanquam à Deo, accipiat.

2. Attendere debet ad Euangelium, quod *2 Euange-*
omnes stantes audire, ex præcepto Apo- *lium.*
stolorum debent, ob reuerentiam Domini
loquentis; vt ostendant pro eius veritate
paratos se esse quæuis aggredi, & sustinere.
Profiteantur itaque & corde, & statione il-
la corporis fidem suam; Deoque gratias a-
gant, quòd miserit ad nos verbum salutis,
idque per filium suum, doctorè nostrū; cui
idcirco, finito Euangelio acclamatur, Laus
tibi Christe. Qui verò Euangelium vel au-
dire articulatè, vel intelligere non potest,
eo tempore quo legitur, roget Dominum,
vt eius veritatem in cordis aures demitte-
re, eam conseruare, & alijs, pro suo gradu
& facultate prædicare possit.

3. Consecratio hostiæ, quæ fit à sacerdo- *3 Consecra-*
te, paulò antequam eam eleuet & ostēdat, *tio & ele-*
significat Consecrationem Corporis Do- *natio hostiæ*

mini in cœna factam. Eleuatio autem, quæ
 eam proximè subsequitur, Christi Domini
 in Cruce eleuationem. Quia verò post
 Consecrationem, verè & realiter est Iesu
 Christi Corpus, ideo profundissima reue-
 rentia adorare oportet Christum Deum,
 iam quasi iterum pro nobis crucifixum;
 eumque cum sacerdote Deo Patri offerre
 in remissionem peccatorum nostrorum ac
 totius mundi; nosque vnà cum Christo,
 Deo Patri offerre in odore suauitatis. Sed
 & petendum demississimè, vt participes es-
 se possimus Crucis Christi, & sacrificij illi-
 us admirabilis in ea oblatis. Vbi sacerdos e-
 leuatam hostiam deposuit, eamque adora-
 uit, pergit ad Consecrationem Sanguinis
 Christi, qua peracta, Calicem eleuat; quæ
 eleuatio, sanguinis Christi abundantem
 effusionem significat, quæ quasi toti popu-
 lo ostenditur, vt eum adoret, & quo pretio
 redemptus sit, intelligat. Oraciones, quæ
 huc pertinere possunt, mente concipian-
 tur, & feruidè depromantur. Recitari ta-
 men potest: Anima Christi, &c vide pagi-
 nam 166. Item; Aue verum corpus natum
 ex Maria virgine; verè passum, immola-
 tum in cruce pro homine. Cuius latus per-
 foratū vero fluxit sanguine; Esto nobis præ-
 gustatū mortis in examine, ô clemēs, ô pie
 ô Iesu, fili Mariæ, miserere nostri, Amen.

Ola

SODALITATIS. 249

O salutaris hostia, quæ cœli pandis ostium, bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium.

Aue salus mundi, æternum Patris verbum, hostia vera, viua caro, deitas integra, & vita æterna. Dominus meus, & Deus meus es tu, quem in hoc altari, cum Corpore & Sanguine præsentē credo firmiter, adoro suppliciter, inuoco humiliter, vt te Redemptorem in prosperis & aduersis, in vita & morte propitium habeam, ac in cœlis regnantem clarè conspiciam, Amen.

4. Est Communio; ad quam post repetitum ter Agnus Dei, sacerdos aliquot orationibus se comparat, tum vbi dixit, *Domine non sum dignus, &c.* sacram hostiam accipit & manducat; tum Sanguinem, quem ebibit. Qui verò sacro interest, debet quoque preparare se ad communicandum spiritualiter, (si sacramentaliter id non facit) hoc est, affectu & desiderio; humiliter Christum Dominum obsecrando, vt in se quoque ingredi velit; vt animam suam hoc viuifico cibo, fide, & desiderio sumpto, visitare, pascere, corroborare, & ad nouam vitam reparare dignetur.

4 Communio.

His omnibus magnæ pietatis sensu ex- *De benedictione Sa-*
pleris, non egrediatur templo, vel surgat, *cerdotis.*
donec benedictionē Sacerdotis acceperit; *quam flexis genibus, summaq; demissio-*

ne, pcc.

ne, perinde ac si à Domino Christo daretur, accipiet. Eam enim indicat benedictionem, quam ascendens Christus in celum, dedit Apostolis, ac fidelibus omnibus. Propterea dicit: Benedicat nos Deus Pater; custodiat nos IESVS Filius; illuminet nos Spiritus sanctus omnibus diebus vitæ nostræ, Amen. Ante abitum è templo ager breuiter Deo gratias, pro beneficio auditionis sacri, petetque illius in se sentire, ac experiri fructum.

*Conclusio
huius partis,
& toti
capitis.*

Ex his omnibus intelligis Christiane, 1. quanta alacritate, gaudio, deuotione, præparationeque ad audiendum Missæ sacrificium, templum adire debeas. 2. quantum tibi officias, quantisque commodis priues, quando rei huic diuinissimæ interesse subinde negligis. 3. num æquum sit te, vbi hæc sacra, tremenda, horrendaque mysteria offeruntur, huc illuc per templum inambulare, vel circumspicere; nonnunquam miscere fabulas, ridere, nugari, aliena planè vel cogitare, vel facere, &c. 4. Quanta cura, studioque diebus sacris, & hoc imprimis, & cætera exercitia vsurpare debeas, vt memor Dei sis semper, eoque delecteris, & viuas.

CAPVT